

Q. K. 368, 2.

(x 188 2568)

DISSERTATIUNCULA

De

CÆS. NERVÆ TRAJANI
SALUTE, SI QVAM EIDEM
TRIBUI FAS EST,

Quã

PLURIMUM VENERABILES

DNN. INSPECTORES,
OMNES ITEM ERUDITOS
AC BONOS,

M. JOH. FRIDERICUS Köber /

Illustris Ruthenei Rector,

*ad benevolè
auscultandum*


TRES ORATIUNCULAS
VALEDICTORIAS,

Quæ cras, DEO indulgente, circa pomeridianam II.

IN NOVO AUDITORIO,
habebuntur,

Observanter admodum, & humanissimè

INVITAT.



Gera, Typis Müllerianis.

II n
501





Ornice[m] è fastigio Capitolii, cùm M. Ulpus Trajanus imperium auspicaretur, multi Historicorum exclamasse ferunt. (a) *Εσσι πάντα καλῶς, omina bene erunt!* Quod, si verum est, non immeritò omen felicitis & optimè successuri Regiminis habitum fuisset. Utinam verò & ipsi salutem animæ æternam annunciasset! Ecquis enim tam flagret illius odio, ut invidere eidem beatitatem, si ejusdem fuisset capax, præsumat? Namque *æquus* erat, *clemens*, *patientissimus* Imperator, encomiastâ Aurelio Victore, (b) & ut habet lapidis antiqui inscriptio, (c) *de omni hominum genere meritisimus*, & *Princeps optimus*, insignis Eruditorum Mecænas, in ipso etiam persecutio- nis æstu paullo æquior in Christianos, quàm alii; quod ex epistolis ad Plinium (d) elucet. De hoc Ulpio, vel, ut post adoptionem audivit, Nerva Trajano, sunt, qui commemorant, ejus animam quingentis an- nis post, quàm vivis excefferat, intercedente quidem Gregorio M. te- nebrarum vinculis exsolutum, rediisse in vitam, & hinc migrasse tan- dem ad cœlitum *Deatorum* *conferentium*. Rem totam his expressam verbis recensent ex sermone Johannis Damasceni de defunctis, vel, ut Bellarminus vocat, (f) de his, qui in fide dormierunt: *Prodeat in me- dium Gregorius Dialogus, antiquioris Romæ Episcopus, Vir (ut omnes norunt) tum vite sanctitate, tum eruditione clarus ac celebris; quem, cùm sacris operare- tur, cœlestem ac divinum Angelum sacrosancti muneris socium habuisse narrant. Hic, cùm per locum lapidibus stratum aliquando iter faceret, dedita operâ con- stitit, intensissimasque pro peccatorum Trajani remissione preces ad animarum amantem & misericordem Dominum fudit, statimque vocem hujusmodi divini- tus emissam audivit: Preces tuas exaudivi, ac Trajano ignosco. Tu verò post- hac caveto, ne mihi pro impiis supplex sis. Quodque istud verum sit, atque ab omni calumniâ alienum, Oriens totus atque Occidens testatur.* Hæc Da- mascenus ille, ut verba recitat operosus annalium conditor, Baro- nius. (g) Idem recensuit trecentis ferè post Gregorium annis Johan- nes Diaconus, (h) qui tamen non nihil trepidat, ac testes facti, apud

(a) C. Matth. in Theatr. p. 549. & alii. (b) de Cæsaribus p. 254. ex ed. Schotti & alior. (c) Boxborn. Hist. univ. p. 165. (d) l. X. ep. 98. (e) Rupert. in Besold. p. 304. (f) de script. Eccles. ad A. C. 731. p. 183. (g) ad An. Christi 604. n. XXXIX. (h) in vita S. Gregor. l. 2. c. 44.

Britannos & Saxones quærit, quos Romæ potius, & in ipsâ Italiâ
 quærere debuisset. (i) Rei etiam fidem adhibuerunt Græci, ut ex Eu-
 chologio eorum colligitur; ubi pro defunctis has fudere preces: (k)
*Quemadmodum Trajanum per intensam servi tui Gregorii dialogi intercessionem
 flagro solvisti: exaudi etiam nos, te orantes, non pro idolorum cultore, sed pro
 fidei servo tuo, qui te propter imbellicitatem ad iracundiam provocavit!* Habe-
 tur idem in Revelationibus Brigidæ five (l) Brigittæ, cum agitur de ele-
 emosynis & orationibus pro animabus Fidelium defunctorum, aliisque
 suffragiis, ubi in exemplum à Christo (hic enim cum Brigitta collo-
 qui fingitur) S. Gregorii factum inducitur, quò ipse suis precibus
 animam Imperatoris ex inferis in sublimem gradum evexisse com-
 memoratur. Et apud Mathildem non solum de animabus Samsonis,
 Salomonis & Origenis, sed & Trajani, nescio quid revelationis divi-
 næ occurrit. (m) Quin ipse Baronius diffiteri non potest, (n) in co-
 dice Dialogorum S. Gregorii, qui in Vaticanâ extet, hæc in fine ad-
 dita legi: *Anno secundo Pontificatus divi Gregorii Papæ collecta Cardinalium
 & Episcoporum & cæterorum Romane Ecclesie multitudine clericorum, Ecclesi-
 am istam, quam ad honorem sancti Andrea Apostoli in Clivo Scauri construxe-
 rat, in qua etiam religionis rudimenta & sanctitatis susceperat incrementa, eo
 quo decuit, prout ejus anima desiderabat, consecravit honore, quam & plena-
 riè dotavit, & privilegis Apostolicis præmunivit. Consecratione verò per-
 actâ, flexis ad terram genibus, se Domino humili supplicatione prosternens, pre-
 ces sedit ad Dominum dicens: Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, qui dixi-
 sti Apostolis tuis, & per Apostolos universis fidelibus Christianis: quacunque
 petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, peto ab omnipotentia tue majesta-
 tis, quatenus quicumque deinceps in hujus Ecclesie circuitu se delegerit sepeli-
 endum, modò fidem tenuerit Christianam, in perpetuum non sit incendiis manci-
 pandus, sed potius ad æternæ vitæ gaudia sublimandus. Oratione verò com-
 pletâ, apparuit ei Angelus Domini dicens: Gregori, exaudita est oratio tua, se-
 cundum quod à Domino postulasti. Sed quia hoc poscere præsumsisti, nihilomi-
 nus & quia pro anima Trajani Imperatoris, viri infidelis, orandum esse duxi-
 sti, scias te in hoc seculo à corporali, quam pateris, infirmitate fore minimè
 liberandum; à quâ, si duo hæc à Domino non petiisses, liberatus procul dubio
 fuisses. Et certè sicut cœlestis nuncii vera fuit atque perpetua de exaudita o-
 ratione annunciatio: ita etiam infirmitatis non levandæ cassa nequaquam extitit*

)?(com-
 (i) Vid. Baron. n. XLI. (k) cap. XCVI, ut cit. Baron. n. XLIV. (l) l. 4. c. XIII. (m)
 l. 5. revel. ac vision. c. VI. ap. Baron. n. XLVI. (n) n. I.

comminatio. Nam stomachi langvore, continuo dolore, continuisque febris (febris)
bus) licet lentis, usque ad vitæ exitum laboravit. Hanc autem orationibus (for-
te, orationem) & divinam revelationem beatus Gregorius nobis, videl. Pe-
tro diacono, & Joanni diacono, patefecit: quas ad scientiam posterorum nos
styli duximus officio transmittendas. Idem narrat Petrus de Natalibus,
 cujus verba, quoniam sunt *μια νόσις* cum antecedentibus, referre pi-
 get: videri ea suo loco possunt. (o) Multum quoque narrationi tri-
 buisse, & variis inde quæstionibus confingendis, ac disceptandis,
 occasionem arripuisse Doctores Scholasticos; hinc inde meminit An-
 naliū institutor celeberrimus. (p) Et ex recentioribus fabulam am-
 plexantur ac tantum non exosculantur Pontificii, Andræus Payva,
 Alphonsus Toftatus (q) Theodorus Peltanus, (r) Martinus Navarrus,
 (s) & Franc. Torreblanca Villalpandus. (t) Præter hos patrocinium ejus
 suscepere tūm alii ex Pontificiis non pauci, tūm in primis avorum me-
 moriā Alphonsus Ciacconius, Dominicanus, (u) qui vindicias histo-
 riæ de anima Trajani scripsit, & sub finem superioris seculi Romæ in
 lucem dedit; & Alphonsus Salmero, Jesuita non nullius celebritatis,
 integram concinnavit Disputationem, (x) ut figmento auctoritatem
 conciliaret ac fidem. Et prout sæcundum est falsum ac ferax; ita
 diffeminatur facilè, ac propagatur diu à mendaciorum mangonibus
 ac fabris. Sic ab Ochino scribitur, & in facetiis Bebelianis repeti-
 tur, Ceretanum quendam (Scholasticum vagantem, malum sanè in-
 ter veteres nomen) preculas Gregorii Papæ, quibus animam Trajani
 Cæsaris ex inferno liberatum iverit, venum publicè exposuisse: de quò
ὁ μακαρίτης Jac. Thomafius, Vir etiam post fata erudito orbi vene-
 rabilis maximè, alicubi differit. (y) Rectius longè faciunt, qui pro ina-
 ni commento habent, quidquid de Trajani salute tantò cum conatu
 alii aut referunt, aut propugnant. In primis omnium meretur cal-
 culum ac puncta fert laborisissimus ac ideò stupendus Annaliū
 Autor Baronius, qui prolixam in confutanda fabulâ operam impen-
 dit & infumit. Convellit (z) rei fundamentum, quam laudatam
 Trajani probitatem esse arbitrati sunt errone: quàm inter se di-
 gladiantur & frontibus adversis pugnent, ostendit: (aa) quàm
 minus vero sint similia, quæ perhibentur, probat: (bb) Joh. Da-
 ma-

(o), in Catalogo sanct. l. 3. c. CXCVII. (p) Vid. l. c. n. XXX. (q) Comment. ad l. 4.
 Reg. quæst. 57. (r) Disp. de sedib. anim. (s) tract. de orat. not. 22. (t) l. 1. Damonol.
 c. XI, n. 13. & l. II. c. XXIV, n. 7. (u) V. Labb. Bibl. p. 343. (x) Comment. Theol. tom.
 XIV. disp. XXVII. (y) Discurs. Histor. Philol. de vagant. Schol. §. 37. (z) n. XXXI. 199.
 (aa) n. XXXV. & n. XLV. (bb) n. XXXVI. sqq.

malcenum vel excusat, vel ejus tamen elevat (cc) auctoritatem: hyperbolem illam de Occidentis & Orientis testificatione, ceu levem atque à vento inflatam bullam, explodit: (dd) Joh. Diaconum, Damasceno posteriorem, Euchologium Græcorum, Brigittam cum Mathilde rejicit (ee) Joannem ac Petrum, quos codex Vaticanus S. Gregorii Diaconos vocat, ut vanos impostores proclamat. (ff) Inter cætera mentem his aperit suam: (gg) *Abeant igitur vana commenta, sileant prorsus inanes fabulae, sepelianturque eterno silentio: data venia iis, qui, quod factum, acceperunt, verum putantes, de eo scripserunt: laudetur tamen Zelus eorum, qui, quod adsertum invenerunt, quomodo se habere potuerit, scholasticè differuerunt: magis verò laude digni habeantur, qui emunctis naribus odorati falsitatem, errorem sunt detestati.* Rectè nimirum rejicit commentum, rectè laudat, qui idem fecerunt. Sed num venia danda, qui falsa pro veris arripuerunt? num Zelus approbandus pro fabula, quomodo se habere potuerit, acriter disputantium? Neminem videlicet vult offendere Cardinalis, nec adversum se concitare. Quem pacis amorem, quod modestiæ studium in ipsò non improbamus, modò in omnes, etiam adversarios suos, eodem animo foret, ne audiendum ipsi esset Poëtæ illud;

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Ceterum ingenium Bellarmini & operæ sententiæ meritisimò applaudimus, quibus veritas cordi est, omnes. Eo etiam nomine prædicamus jure Dominicum à Soto (hb) & Becanum, (ii) qui, fabulam illam de Trajano fide dignam esse, prudenter negant. Ridiculus verò quodammodo est Melchior Canus, (ii) qui illam non tam fabulam, quàm Historiam, *historiam* quidem, sed *confictam*, appellare videtur. Nam anima historiæ veritas est, & hæc prima lex scripturo historiæ, sciſcente Tullio, (kk) *ne quid falsi dicere audeat, deinde, ne quid veri non audeat.* Bellarminus denique incerus animi videtur; nam refutat mythistoriam hanc de Trajano, fabulisque similiorem, quàm historiæ tradit; (ll) & statuit tamen, (mm) *non incredibile esse, damnatos revocari posse ad vitam, cum ejus extent exempla, quæ negari non possint.*

(cc) n. XXXIX, XL. (dd) n. XLI. (ee) n. XLII. sqq. (ff) n. L. sq. (gg) n. XLIX. (hb) 4. Sen. dial. p. 45. q. 2. art. 2. (ii) n. app. tr. de purg. c. 8. n. 14. cit. Gerh. Loc. de Inf. §. 63. (ii) Locor. l. 2. c. 2. Scherz. Syst. Theol. Loc. XX V. p. 642. (kk) l. 2. de orat. Add. Voss. de arte Hist. c. IX. (ll) de script. Eccles. de Damalc. p. 184. (mm) l. 2. de Purg. c. 8. p. 1051. in 8.

sint. Sed si penitiùs, quæ scribit, intuemur, de Trajano quod est, in negativam magis ille propendet: & si quæ affert, hypotheticè dumtaxat & cum conditione adferit. (nn) Ubi quidem (ut in re incertâ fieri asolet) quàm varia variorum judicia & opiniones de Trajani salute fuerint, non incommodè exponi & exaggerari posset, nisi id & factum jam à Baronio esset, ut antè dictum, & præterea à magno nostro Martino Chemnitio. (oo) Quibus non immeritò addimus peculiarem Henrici Henriquez, in summâ Theologiæ moralis, (pp) opinionem, quâ voluit non tam propter orationem Gregorii, quàm lacrymas divinitus liberatum, & ex inferno emissum fuisse Trajanum. Verba ita habent: (qq) *Gregorius non legitur fuisse orationem pro liberatione Trajani, (cùm idem affirmet, illicitum esse & inutile, orare pro iis, quos damnatos esse scimus) sed visâ Trajani, justitiam amantis, historiâ, effudit uberes lacrymas. DEUS autem non tam orationem, quàm desiderium desipientis exaudivit, adjiciens, quod oratio non præsumit.* Quasi verò desiderium cum lacrymis conjunctum, adeoque vehemens *δυσδιάρασων* distet ab oratione devotâ! Nicolaus verò Schoembergicus, (magnum quondam Romæ nomen, & si F. Quicciardino (rr) credendum, ipsi Julio II. P. M. formidatum) *ἐκ ἐκ τῶν ἀδυνάτων* fuisse Trajani, jam inferis mancipati, salutem; cùm ex DEI omniscientia, tum & potentia infinitâ videtur probare, cùm ait: *quid enim cohibere potuit DEUM ignorantiane quæso, an imbecillitas, an utrumque, ut nequiret angelum revocare, qui hominem perditum revocavit, atque adeò, qui Trajanum, optimum Principem perperam concitavit, ac in seipsum devotioribus liberavit!* A redemptione videlicet hominum & singulariè Trajani, ad liberationem damnatorum angelorum, si non ex suâ, ex aliorum tamen opinione colligere videtur: in quò non ambiguit salus Imperatoris sive conceditur, sive ut certa præsupponitur. Verùm enim verò, quidquid sit de variè inter se confligentium Pontificiorum opinionibus; id tamen certum est, ut præclare, pro insigni sua ἀρχαία vidit Theologorum phosphorus, B. Joh. Gerhardus, & rectè annotavit, (tt) vel ideò fabulam de Trajano non rejiculam planè visam fuisse iisdem, quod nec ullus Papa in hunc usque diem eam damnavit, nec librum Damasceni vel Brigittæ, in quibus ea extat, in censum librorum prohibitorum, more solito, retulit, & Ciacconius, quem supra diximus

(nn) p. 1046. (oo) Exam. Conc. Trid. part. 3. de Purgat. p. m. 183. (pp) l. 9. c. 16. (qq) citante celeberrimo D. Kortholto tr. de persecutione Eccles. sect. 3. §. 16. (rr) Hist. l. XVI. (ss) Orat. 2. p. 12. edit. cum reliquis ab Excell. L. RECHENBERGIO nostro. (tt) l. c.

mus, permisso & auctoritate Papæ, apologiam pro Trajani Hi-
storiâ, quam vocat, in ipsa urbe Roma edidit. Quid? quod mi-
randum magnopere non est, si suo id tempore de Trajano tra-
didit Joh. Damascenus, quippe quô (erat octavum à nato Chri-
sto seculum) & imaginum cultus, & apparitionum ac revelatio-
num fides in probando purgatoriô, jam invaluerat: ceu rectè
observat eruditissimus Adamus Tribecchovius. (iii) Qui non
improbabile etiam judicat, librum, ex quo, tanquam ex scaturi-
gine, haustum fuit commentum, Damasceno, quidquid alii sen-
tiant, non esse abjudicandum, propter jam dictos seculi istius
nævos. Sed hæc de fabulâ illâ dixisse in præsentiarum sufficiat:
nam instituti ratio monet, ut ad VALEDICTUROS tandem
perveniamus. Sunt illi TRES numero, inter quos primatum
tenet NOBILISSIMUS JOH. DANIEL A Koseris /
EQ. MISN. perantiqua KOSERIZIUM profapiâ, ortus,
qui, GENEROSO DN. CHRISTOPHORO Gottfried à Koseris /
Toparcha in Großbehla / Cognato venerabili proxenetâ, nomen
suum apud nos profesus d. XXV. Nov. A. O. R. ∞ Idc LXXXII.
probitatem animi, modestiam morum & sinceritatem, cum dili-
gentia in studiis literarum & in Præceptores observantiâ, proba-
vit usque, nec temere habuit insuper, quod nobili loco natum
decere in primis potest. Et hic, *nobilitatem non indecere literas ac
studia*, disertabilis. Deinde *capitulum adprensio Hemmann /*
GERANUS, illi se allateravit, qui cum in sinu paterno (Patrem
enim habet DN. JOSEPHUM HEMMANNUM, Ædituum Ec-
clesiæ nostræ solertissimum nec parum meritum) tum & à blandâ
matre, Gymnasio, à parvo admodum puero, literis, pietate &
moribus bonis ita imbutus fuit ac eruditus, seqve ita compara-
vit sagaci industriâ ac probitate, ut nunc ad Academica tempe
in bonâ pace dimittatur. Et hic *in laudem stipendiorum*, præcipu-
è prænobilis Matronæ ANNÆ WIGANDIÆ, quæ cum
Marito suo, Viro, cum viveret, Magnifico & Consultissimo,
ADRIANO ALBINO, Jcto, Potentissimi Electoris Bran-
denburgici Cancellario meritissimo, jampridem de mundi va-
nitate in cœlo triumphat felicissimè, & apud Custrinenses
laudabili exemplo legatum istiusmodi instituit, cujus & ipse
par-

(iii) lib. sing. de Doctorib. scholast. c. 6, p. 129.

91
T
501

particeps futurus est Hemmannus, verba faciet. Tertius his, forte ita ferente, accessit JOH. GUSTAVUS Harnisch / NUMBURGENSIS. Qui datus in disciplinam nostram à PARENTE suo, DN. JOH. CHRISTOPHORO HARNISCHIO, Reip. Numburgensis Camerario prudentissimo, ante annum cum semestri, in Contubernio CLARISSIMI DN. JOH. HITSCHOLDI, Collegæ nostri ac Compatri honorandi, ad optima quæque diligenter institutus, modestum se nobis & industrium, præcipuè attentum exhibuit Discipulum. Et ideò *de sedulâ lectionum*, quæ à Doctoribus publicis proponuntur, *auscultatione* dicendum sibi proposuit. Oratiunculis finitis, gratias DEO, Illustrissimis Nutritiis, Inspectoribus ac Præceptoribus, partiti inter se operas, carminicè nuncupabunt. Abituris ergò paternam DEI gratiam, profectus in studiis laudabiles, & quidquid boni nomine venire potest, & lubentes & meritò apprecamur. *Γένοιτο!* A VOBIS, DNN. INSPECTORES, à VOBIS item, qui Musis favetis, omnibus, enixè etiam atque etiam petimus, ut faventes pariter & frequentes Dicturis operam navare haut gravatim velitis. Neque enim parum juvari Discentium industriam, favore Honoratorum Virorum, ipsi nostis; & dubio procul recordamini, quam placuerit olim VOBIS, in copiosò E-ruditorum confessu meletemata Vestra proposuisse. Quod igitur Vobis ab aliis factum est id nostri nunquam ~~ve~~ expectant. Prosperos Discesuris viales apprecabitur Carmine, venâ non infelici fusco GABRIEL CHRISTOPHORUS Marquart / SCHLEIZENSIS. P. P. Geræ d. X. Septembris, Anno Mesfiano vulgaris æræ M DC LXXXV.



1017

he

affe
 ten
 pat
 pid
 cep
 nis
 Plin
 Ne
 nis
 neh
 der
 ver
 ut
 diu
 ium
 iur
 Hu
 stit
 am
 ius
 bac
 ab
 ma
 niu
 nes

(c) B
 Ecclē

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak
 LICENSED PRODUCT

Black
 3/Color
 White
 Magenta
 Red
 Yellow
 Green
 Cyan
 Blue



Capitolii, cum M. Ulpus
 spicaretur, multi Historico-
 a) *Εσα πάντα καλῶς, omina bene*
 st, non immerito omen felicitatis
 geminis habitum fuisset. U-
 nanimam æternam annuncia-
 o, ut invidere eidem beatita-
 Namque *equus* erat, *clemens*,
 lio Victore, (b) &, ut habet la-
 um genere *meritissimus*, & Prin-
 as, in ipso etiam persecutio-
 yam alii; quod ex epistolis ad
 ut post adoptionem audivit,
 , ejus animam quingentis an-
 ente quidem Gregorio M. te-
 vitam, & hinc migrasse tan-
 Rem totam his expressam
 Damasceni de defunctis, vel,
 ide dormierunt: *Prodeat in me-*
Episcopus, Vir (ut omnes norunt)
lebris; quem, cum sacris operare-
muneris socium habuisse narrant.
do iter faceret, dedita operâ con-
remissione preces ad animarum
atimque vocem hujusmodi divini-
ac Trajano ignosco. Tu vero post-
Quodque istud verum sit, atque
ve Occidens testatur. Hæc Da-
 s annalium conditor, Baro-
 ost Gregorium annis Johan-
 tepidat, ac testes facti, apud
 Bri-
 faribus p. 254. ex ed. Schotti & alior.
 upert. in Besold, p. 304. (f) de script.
 XXIX, (b) in vita S. Gregor. l. 2. c. 44.

Brit
 qua
 cho
 Que
 flag
 fidel
 tur
 eme
 suf
 qui
 ani
 mer
 Salo
 na
 dice
 dita
 & B
 am
 rat,
 quo
 riè
 actâ
 ces
 si
 petie
 tis,
 endi
 pan
 plet
 cuna
 nus
 sti,
 liber
 fuiss
 rati
 (c)
 l. 5. r